


Peter Becker

**Programma Qvo Rector Universitatis Rostochiensis M. Petrus Becker, Mathem.  
Profess. Publ. ... Ferias Paschales indicit & insimul De Resurrectione Nostra Cum  
Christo disserit**

Rostochii: Typis Joh. Jacob. Adleri, [1724?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877244421>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1724. Ostern.

~~M. 1256. 182.~~

Op. 1724

# PROGRAMMA

QVO

## RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

**M. PETRUS Becker,**

Mathem. Profess. Publ. & ad Ædem  
D. Jacob. Pastor.

# FERIAS PASCHALIS

indicit  
& infimul  
DE



# RESURRECTIONE NOSTRA CUM CHRISTO

differit.



ROSTOCHII,

Typis Jo. Jacob. Adleri, SEREN. PRINC. & ACAD. Typograph.

M. 1256 102



Ervatore[m] nostrum, Cives Optimi! ter  
beatum, terque benedictum, acerbis-  
sima morte defunctum, post tri-  
dium gloriosè resurrexisse, nemo sa-  
ne, nisi qui occæcatis Judæis fuerit  
pejor, ibit inficias. Hic certè fidei ar-  
ticulus, in veteri fœdere omnino inno-  
tuit: in novo vero tot testibus ocula-  
tis, tot scripturæ assertis est confirmatus, ut nullus facile  
magis munitus reperiatur. Veritatem itaque resurrectio-  
nis Christi, qui cum Celso & Spinoza in dubium vocaverit,  
atheismi potius, quam Christianismi animum prodit, cum  
fundamentum illa sit Christianæ religionis. Nos equidem  
diem hunc in honorem triumphantis Goëlis antiquitus con-  
stitutum, piè celebramus, laudem Servatori nostro ac glo-  
riam ore cordeque tribuentes. Non est igitur ut Vobis C.  
O., id quod summâ *πληροφορία* credimus, proponam; operæ  
magis pretium erit, ut fructum hujus gloriosæ resurrectio-  
nis ostendendo, id quod Vestrum est commonstrem, scili-  
cet: *Resurrectionem cum Christo*. Novistis omnes Scriptu-  
ram Sacram, mentione illius hinc inde injecta ad recorda-  
tionem ejus nos commovere, eo fine, ut partim fideles fru-  
ctum ex redemptoris resurrectione in se redundantem per-  
pendant, partim ut immorigeri à peccatis suis surgere di-  
scant, sicut Christus a mortuis revixit, partim ut de cor-  
porum nostrorum resurrectione reddamur certiores. Præ-  
cipiendum vero duco scripturæ sensum non esse, ac si nos,  
peccata morte nostra expiare & ad probandam satisfactio-  
nem resurgere queamus; indigitat potius fructum ex resur-  
rectione JESU promanantem, & similitudinem ad quam vi-  
ta nostra sit instituenda. Clariora hæc erunt si distincte  
exposuerimus quot modis resurrectio nostra cum Christo  
sit accipienda. Triplicem autem notat scriptura & fidei a-  
nalo-

nalogia, quarum prima dici omnino poterit *mystica* quâ  
 participes facti sumus resurrectionis JESU. A mortis enim  
 vinculis Christus non est liberatus sui, sed nostrum causa,  
 Rom. IV. 25. dum quæ peperit, nobis promeruit omnia. Cer-  
 te justitia nostra e Christi resurrectione suboritur, quæ nisi  
 evenisset, justitia in protoplastis amissa, non foret recupe-  
 rata. Ipso autem a mortuis resurgente, communicantur ac  
 applicantur credentibus, quæ promeruit omnia. Quemad-  
 modum enim mors Christi verè imputatur credenti, ita qui-  
 dem, ut Paulus se *cum Christo crucifixum* Gal. II. 19. & *συμμορ-  
 φούμενον τῷ θανάτῳ αὐτοῦ* Phil. III, 10. vocet; ita quoque resur-  
 rectionem ejus verè imputari oportet. Quin imo, sicut  
 propter peccata nostra Christo realiter imputata factus ille  
 est *ἀμαρτία*, ita vicissim homo peccator ob imputatam Chri-  
 sti resurrectionem erit *δικαιοσύνη ἐν αὐτῷ* 2. Cor. V. 21. Ad-  
 modum emphaticè id exprimit Paulus quando nos vocat  
*συμφοῦτος τῷ ὀμώματι ἀναστάσεως αὐτοῦ* Rom. VI. 5. argumen-  
 tum petens a furculis stirpi insertis; Christus enim vera  
 vitis Joh. XV. 1. Quicquid igitur Christo victori obtigit, il-  
 lud omne tanquam nobis factum putatur, ut cum Christo  
 resuscitati pædicemur, qui cum eo mortui dicimur. Innu-  
 unt hoc phrasæ scripturæ *συνεζωοποίησε τὸν Χριστὸν* Eph. II, 5.  
*συνήγειρε* v. 6. conf. Col. II. 12. III. 1. In baptismo autem cepit  
 hæc resurrectio, qui *ἐπερωτήματα συνειδήσεως ἀγαθῆς* esse non pos-  
 set, nisi salvaret per resurrectionem Christi 1. Petr. III., quem  
 baptizati induunt Gal. III. 27. *Mysterium* autem hîc merito  
 agnoscimus. Quid enim mirabilius, quid incomprehen-  
 sibilius, quid mysterio magis conveniens, quam hoc modo  
 cognoscere *δυναμὴν ἀναστάσεως & κωνίαν τῶν παθημάτων* Chri-  
 sti. Phil. III, 10. Verum enim vero respectu hujus nostræ  
 cum Christo, resurrectionis, quam *mysticam* diximus, ipsius  
 Christi resurrectio dicenda erit *meritoria*. Etenim sub con-  
 demnatione adhuc essemus, & ira DEI, vana foret fides no-  
 stra, spes salutis nulla, si Christus ex mortis vinculis non

pro-

) 2

pro-

prodiisset, in cineres redactus. Resurrectione autem facta liquidò apparet meritum ipsius abundanter sufficere ad redimendos & salvandos homines. Quodsi itaque Christi resurrectio per imputationem nostra facta fuerit, conformes ipsi erimus, quotquot fide ipsum apprehenderimus. Altera autem, quæ nobis cum Christo esse debet resurrectio est *spiritualis*, consistens in abnegatione peccatorum & reversione ad poenitentiam novamque vitam. Notum est, quod qui flagitiis sunt dediti, in scriptura dicantur *sopiti*, imo *mortui*; unde mors spiritualis status ille hominis peccatoris miserabilis, qui viam pandit ad mortem æternam. Parabola illa Christi, de Filio prodigo his verbis concluditur: fuisse ipsum mortuum, & jam revixisse Luc. XV. 32., certo indicio nullam in peccatore adesse vitam spiritualem (ut potè quæ sola ab inhabitatione & cooperatione Spiritus Sancti pendet) nisi verbo & Sacramentis excitatus, præviâ poenitentiam a DEO in Gratiam recipiatur. Tum enim vita incipit spiritualis, ex virtute Spiritus S. qui justificatum ad bona quæque opera incitat, & novas largitur vires ad peragenda, quæ sanctum DEI hominem oportet. Deserere itaque decet vitam ante actam, & fide in Christum se sublevare. Referta est undiquaque scriptura ejusmodi locutionibus metaphoricis. Sic Episcopus qui ecclesiæ Sardenfi præerat *mortuus* dicitur *etiamsi speciem habeat vitæ*. Apoc. III. 1. Vidua, deliciis & voluptatibus indulgens, *vivens mortua* 1. Tim. V. 6. Pertinet huc dictum: *expergiscere qui dormis &c.* Ephes. V. 24. Quod Hebræis est. קומי אורי Es. VI. 1. קומי שובי Es. LII, 2. Duplici autem respectu metaphorica hæc resurrectio fieri potest. Pertinet enim partim ad eos, qui *in peccatis sunt mortui*, partim ad eos, qui *peccatis sunt mortui*, quorum prius in impios, posterior, in iustificatos quadrat. Surgunt itaque malitiosi, voluptatibus obruti, sceleribus polluti, quorum resurrectio est ipsa ad DEUM conversio, quando vitæ pravitatem deplo-

plorantes fide in Christum salutem suam quærunt. Surgunt quoque iustificati, quando imbecillitates suas sanguine Christi extinguunt, carnis stimulos, & voluptatum illecebras virtute DEI reprimunt, veterem hominem exuere & magis magisque enervare student. Agit de hoc argumento Paulus Rom. VI. ubi ex resurrectione Christi novam iustificatorum vitam, novos mores, hypotyposi sanorum verborum consentaneos, derivat. Instauranda est amissa illa DEI imago, & instauratur quoties iustificati, & imputata iustitia vestiti, à tribunali DEI recedimus; ast residua adhuc in nobis est radix iniquitatis, unde turpissimæ facile exsurgunt fruges, nisi subigatur concupiscentia prava, ut Spiritus Sancti gratia novum prodeat vitæ genus. Hæc illa carnis crucifixio membrorum mutilatio, & vitæ renovatio, quam subinde exigit Scriptura, *spiritualis* dicitur, quoniam spiritum potissimum concernit. Nuncupatur etiam *resurrectio prima* Apoc. XX, 6. quæ, si in hoc ævo facta fuerit, altera in futuro Seculo erit salutifera. Respectu autem hujus nostræ spiritualis resurrectionis, Christi resurrectio *typica* erit dicenda, ad cujus normam & similitudinem hæc nostra erit componenda. Surrexit Christus suffocato & sublato omni peccato: nostrum est, ad Christi exemplar omnem in eo operam collocare, ut peccatum, quod in nobis est residuum aboleamus & suffocemus, quantum ejus fieri poterit. Equidem, Christi resurrectioni nostra hæc adequatè respondere neutiquam poterit. Observandum tamen est scripturam, quando resurrectionem cum Christo commendat, versari circa dominium peccati. Quemadmodum autem peccata nostra in Christum dominium non obtinuerunt, quin gloriosè triumphum de iis egerit; ita quoque in similitudinem quandam, peccati dominium à nobis erit declinandum, ut licet existat, non tamen regnet, quoniam per Christum è servitute peccati in libertatem sunt vindicati. Proinde ad refrænandum peccati dominium Spiritus

X 3 Sanctus

Sanctus nos excitat Genes. IV, 7. Rom. VI, 12. Rom VIII, 13.  
Supereff tertiam cum Christo resurrectio, quæ *corporalis* dici poterit, die panto-critico futura. Hæc vita quam agimus non erit perpetua, sed moriendum est homini, & seculo hoc consummato, ad aliud resurgendum. Competit jam piis accipientibus, ut cum Christo resurgant, sunt enim complantati similitudini ipsius resurrectionis. Demonstrat sane id ipsum connexio capitis & membrorum; Christus, caput sui gregis pretiose satis acquisiti, fideles autem membra, quæ unum corpus sanctum constituunt. Cum igitur caput ex sepulchro prodierit, necessarium est, ut membra sequantur, æqualitatem & conformitatem hic deprehendimus omnimodam, excepta corruptione, quam Christus non fuit expertus. Sic enim idem Servatoris corpus, quod in ara crucis fuit fractum & sepulchro mandatum, resurrexit; & fideles corpus, quod sepelitur, recipient, numero quod ajunt, & specie idem, licet in cineres fuerit reductum. Annihilari enim corpus nostrum, benignitas divina non patitur *ossa nostra custodiens, ne unum de iis frangatur*, Ps. XXXIV, 21. Quam absolum hoc rationi videatur, tam verum est fidei, quæ probe novit, non ipsi deesse vires ex eadem materia pristinum corpus restituendi, qui corpora ex nihilo creavit. Idem autem corpus quod cecidit, quod vermibus est exesum, in integrum iri reductum pulchre testatur Jobus Cap. XIX, 26. Christus porro idem suum corpus, novis qualitatibus ornatum ex sepulchro eduxit, ita ut merito illud dicatur gloriosum Phil. III, 2. Similes quoque in hoc erunt ipsi fideles, quando cum corpore variis ornamentis, incorruptibilitate, spiritualitate, condecorato, resurgent *συνωσθησιν τῷ σώματι* Jesu Phil. I. c. Christus vivificatus, capeffivit regnum cœleste & ad gloriam est evehctus, hinc unâ cum eo fideles ad beatorum transibunt castra, atque gaudiis perpetuis fruuntur, in regno ipsis à fundamento mundi accommodato. Hæc unica spes,

spes, hoc unicum est solatium piorum in hac tempestate, quod aliquando ad propiorem & intimiorem accessum ad Goëlem admittentur. Nullam vero aliam subesse causam, potius omnia originem trahere ex resurrectione Jesu, satis perspicue testata est Scriptura 1. Cor. XV, 15, - 18. Rom. IX, II. 2. Cor. IV, 14. 1. Theff. IV, 13, 14. Hoc autem respectu Christi resurrectio est, *causalis*. Perficiet equidem tota S. S. Trinitas hominum resurrectionem, unde & Scriptura S. modo de Patre, modo de Filio, modo de Spiritu S. præfens negotium prædicat, tanquam opus ad extra quod omnibus Deitatis Personis est commune; sed vero si de causa quæritur meritoria, sola adest resurrectio Christi, quare & *Resurrectio*, & *Vita* dicitur Joh. XI, 25. Nisi enim Christus, mortis potentiam destruxisset, nemo unquam hominū vel vinculis mortis foret ereptus, vel ex carcere mortis procederet, Christo autem resuscitato quam non firmo, quam non stabili, quam non certo nostra resurrectio nititur fundamento? Quisquis ergo ad ultimum vitæ halitum vera fide Christo fuerit unitus, ejus anima, in cœlis asseruata, tandem corpori ex pulvere revocato associabitur, ut totus homo cum Christo sit in gloria, ex asse hæres vitæ æternæ. Ita enim loquitur Christus de unione sua cum fidelibus: *Ego vivo, & vos vivetis*, Joh. XIV, 19. *ubi ego ero, ibidem & meus minister erit*, Joh. XII, 26. *Qui in me credit, etsi moriatur, vivet*, Joh. XI, 25. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo illum, extrema die*, Joh. VI, 54. Præcipuum inde nascitur argumentum, impios non ita cum Christo resurrecturos esse in altera vita, siquidem in hac ætate longe ab eo fuerunt alienati. Reprobis enim merita Christi in tempore salutis frivole contemta, post terminum illum, saluti esse nequeunt. Cum autem nihilo secius resurrectio ipsis non sit deneganda, apparet, aliam causam illius esse quærendam, quam resurrectionem Christi. Recte ergo Theologi nostrates

frates eandem posuerunt in *justitia DEI*, quippe *que retribuet unicuique secundum facta quae operatus est*, conf. Dan. XII, 2. Joh. V, 29. Et ita tam ratione causa, quam finis discrepat resurrectio piorum & impiorum, quam differentiam scriptura ipsa innuit, cum solam resurrectionem fidelium ad resurrectionem JESU, tanquam infallibilem causam refert & ablegat, solis igitur credentibus haec est prerogativa, quod vi resurrectionis JESU, & una cum eo sint resurrecturi. Audit ergo hanc ob causam eadem, *resurrectio justorum*. Luc. XIV, 14. Hac sunt Cives Optimi! quae vobis ad animum ponere officii ratione teneor, ut sancta cupiditate accensi cum Christo surgatis. Locum quaeso! relinquite huic cerbo, & Vobis dicta esse ea intelligatis, quae dicta sunt. Festum hoc Paschatis admonet Vos, ut non solum Christi resurrectionem pie meditemini, sed & resurrectioni justorum tandem futurae studeatis interesse, cujus tamen nemo erit particeps, nisi in hoc tempore cum Christo surrexerit. Attendite, quaeso ad Vestram felicitatem, qua felicior neque, neque major ulla esse potest. In baptismo cum Christo peccatis mortui, & resurrectionis ejus participes facti estis, majora certe DEUS Vobis tribuere non valuit, cum donavit ea quae Christi sunt, omnia. Sed pro! quam leviter plerique hoc custodiunt? rescindunt enim hanc communionem flagitiis & intolerabilibus peccatis, violant vinculum sceleratissimis factis, de exitu rerum, de termino vitae, de salute aeterna nequidem solliciti. Nolite ita contemnere, hortor Vos per viscera misericordiae DEI, quae Christus animabus Vestris acquisivit; nolite Vos ita conspurcare peccatis, & animam laqueis diabolicis ultro irretire, quam Christus ab interitu vindicavit; nolite Vos indignos reddere vita aeterna, quam digni a Christo estis reputati. Quid juvat, si scientiae operam dederitis, & conscientiam neglexeritis? Utrumque Vobis incumbit, altero quidem prodesse poteritis proximo, altero autem Vobis ipsis & animae vestrae. Surgite itaque, surgite Festo hocce resurrectionis. Omittite vitam pravam & ambulate in nova, considerate flagrantem DEI amorem erga animas Vestras. Desistite a malis & insistite vestigiis JESU. Hac si feceritis, aliquando etiam cum Christo ad vitam aeternam surgitis. Surgite!


P. P. sub Sigillo Rectoratus

Ipsa Feria prima Paschatos

A. O. R. MDCCXXIV. d. IX. Aprilis

35 ) 0 ( 36





spes, hoc unicum est solatium piorum in hac tempesta  
 quod aliquando ad propiorem & intimiorem accessum  
 Goelem admittentur. Nullam vero aliam subesse causa  
 potius omnia originem trahere ex resurrectione JESU, sa  
 perspicue testata est Scriptura 1. Cor. XV, 15, - 18. Rom. II  
 II. 2. Cor. IV, 14. 1. Theff. IV, 13, 14. Hoc autem respec  
 Christi resurrectio est, *causalis*. Perficiet equidem to  
 S. S. Trinitas hominum resurrectionem, unde & Scriptu  
 S. modo de Patre, modo de Filio, modo de Spiritu S. pr  
 fens negotium praedicat, tanquam opus ad extra quod  
 mnibus Deitatis Personis est commune; sed vero si de ca  
 sa quaeritur meritoria, sola adest resurrectio Christi, qua  
 & *Resurrectio*, & *Vita* dicitur Joh. XI, 25. Nisi enim Ch  
 stus, mortis potentiam destruxisset, nemo unquam homi  
 vel vinculis mortis foret ereptus, vel ex carcere mor  
 procederet, Christo autem resuscitato quam non firm  
 quam non stabili, quam non certo nostra resurrectio ni  
 tur fundamento? Quisquis ergo ad ultimum vitae halitu  
 vera fide Christo fuerit unitus, ejus anima, in caelis ass  
 vata, tandem corpori ex pulvere revocato associabitur,  
 totus homo cum Christo fit in gloria, ex asse haeres vi  
 aeternae. Ita enim loquitur Christus de unione sua cum  
 delibus: *Ego vivo, & vos vivetis*, Joh. XIV, 19. *ubi ego e*  
*ibidem & meus minister erit*. Joh. XII, 26. *Qui in me credit,*  
*moriatur, vivet*. Joh. XI, 25. *Qui manducat meam carnem,*  
*bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscito*  
*illum, extrema die*. Joh. VI, 54. Praecipuum inde nascit  
 argumentum, impios non ita cum Christo resurrectur  
 esse in altera vita, siquidem in hac aetate longe ab eo fu  
 runt alienati. Reprobis enim merita Christi in tempore  
 lutis frivole contemta, post terminum illum, saluti esse n  
 queunt. Cum autem nihilo secius resurrectio ipsis non  
 deneganda, apparet, aliam causam illius esse quaerenda  
 quam resurrectionem Christi. Recte ergo Theologi n  
 stra